



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 104. Archiducis epistola hac super re ad Ximenium Cardinalem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](#)

rentur, regium eidem nomen attribue-<sup>gæcul.</sup> XVI.  
bant: Papa quidem eo consilio, ut Caro-<sup>A. C. 1516.</sup>  
lus Gallorum progressibus in Italia repri-  
mendis potior esset, Cæsar vero id egit,  
ut domum suam honoribus atque fortu-  
nis augeret.

## §. CIV.

*Archiducis epistola hac super re ad  
Ximenium Cardinalem.*

Verum hanc in rem omnino neceſſa-<sup>Gomes. in</sup>  
rium erat, ut Regii nominis ſuscepti vita Ximen:  
voluntas Hispanis quoque probaretur;  
ingens autem hac in re adhibenda erat  
dexteritas, ne forte exasperati repulsam  
darent. Ergo Carolus hac super re Xi-  
menio literas dedit, his verbis conceptas:  
„ad procurandam Castellani atque Ar-  
ragonensis regni tranquilitatem, & e-  
vertenda hostium ſuorum conſilia, ſum-  
mus Pontifex, ac Maximilianus Impera-  
tor omnino expedire censuerunt, ut pari-  
cum Matre mea auctoritate Regium  
nomen affumerem, Regisque munus  
obirem; mihi ergo haud amplius inte-  
grum eſt, quin eorum votis obsequar;  
curent ergo ſubditi mei, ne ipſi tanto-  
rum Principum totius Europæ ſpecta-  
tissimorum auctoritatem vilipendere  
videantur, ſi recuſant eam mihi tri-  
buere dignitatem, quam mihi non  
„modo

Sæcul. XVI „ modo illi contulerunt, sed etiam, ut  
A.C. 1516. „ assumerem, impensius hortati sunt.“

Hanc epistolam Carolus Ximenio transmitti, ab eoque Regni Ordinibus communicari voluit, interea vero pro optato successu de necessariis providebatur mediis. Ximenius, quamvis hac via potestatem suam diminui prospiceret, nihilominus fiduciam, quam Archidux in ejus præsidio collocaverat, pari obsequendi studio demererri sollicitus, cum propriæ suæ auctoritatis neglectu ejusdem votis respondere satagebat (•).

### §. CV.

#### *Archiducis epistola in Regni comitii perlecta.*

Ergo Castellæ Ordines comitia agunt, ubi Archiducis epistola ad Ximenium data perlegitur, in qua præter petitio-  
nem mox relatam insuper exprimebatur, quod Archidux animi sui propositum Ca-  
stellanis exposuisset, non quidem ob con-  
fensus præstandi necessitatem, sed ex fi-  
ducia, quod illi ipsius agendi rationem o-  
mnino probatur, Regique suo plenam  
subjectionem professuri forent. Hujus  
epistolæ

(•) Si Ximenius adeo superbus fuisset, ut eum depinxit Continuator, certe non tam fa-  
cile cessisset.